

prout etiam in Jure Civili neganti debitum, negatur beneficium cessionis bonorum *l. penult. ff. de Cession. bonor. & neganti, se socium esse, negatur beneficium competentie l. si unus 67. §. ult. ff. pro Socio.* Quodli extra iudicium negaverit debitum, aut in iudicio quidem negaverit, sed ante sententiam fuerit confessus, locus est privilegio ex mente Barboſæ d. cap. 39. §. 6. n. 35. Fagnani in cap. Odoardus n. 56. Riccii in praxi decif. 286. vers. limitarem & c. Francisc. à Mostazo d. cap. n. 34. Ranbeck cit. 236. n. 7. Cessat II. quando Clericus dolose versatus est, puta quod se finxerit, non esse Clericum; vel falsò iactaverit, se esse divitem; vel bona sua dissipaverit, aut destruxerit in fraudem creditorum & c. Barboſa cit. l. n. 20. & seqq. Ranbeck n. 10. Gutierrez de juram. p. 1. cap. 17. n. 20. Gonzalez ad cap. Odoardus n. 16. Vincentius Petra Commentar. ad Const. Apostol. tom. 4. p. m. 459. n. 48. non enim decipientibus Jura succurrere solent *l. auxilium 37. §. 1. ff. de Minor. l. si decipiendi 30.* 231 in pr. ff. ad Sc. Vellej. l. pen. ff. de Jure dot. Doli si abit, Clerico non negandum cenſeo privilegium, licet in ludo, luxu, vel luxuria dilapidaverit sua bona. Hostiensis in cit. cap. num. 3. Fagnanus *ibid.* n. 35. à Mostazo d. cap. n. 32. militant namque rationes omnes concessi privilegij pro tali Clerico; nec textus occurrit, quò illius privatio statuatur. Aliud docent Barboſa d. l. n. 24. Ranbeck n. 11. Riccius in praxi decif. 297. n. 3. Cessat III. quando Clericus ex delicto amittit privilegium fori: talis liquidem in consequentiam amittit privilegium competentie *arg. cap. ult. de Vita & honest. Clericor. cap. un. eod. in 6. cap. pro humani 1. de Homicid. in 6.* Ranbeck cit. l. 233 n. 17. Cessat IV. quando Clericus est excommunicatus, prout cum citatis voluit Barboſa d. l. n. 18. Cuitamen cum Franc. à Mostazo d. l. n. 73. meritò se opponit Ranbeck n. 2. iniquis, abstrahendò à Decisione Rotæ, quam adducit Barboſa, multùm probabilem esse sententiam contrariam: eùm excommunica-

tus & canonicis & fori privilegio gaudet, ac in iudicio se defendere permittitur. Cessat 234 V. quando Clericus eidem renuntiat, non quidem simpliciter (eùm enim non in favorem privatam Clericorum, sed in honorem totius Ordinis Clericalis introductum esse noscitur, non magis renuntiationem simplicem admittit, quàm privilegium canonicis & fori. Fagnanus in cap. Odoardus n. 70. Gonzalez *ibid.* n. 17. Riccius in praxi decif. 288.) sed juratò, prout tenent Gutierrez d. p. 1. de juram. cap. 17. n. 35. Molin. tract. 2. de F. & F. disp. 571 n. 26. Carolus de Grassis de effectib. Clericat. eff. 7. n. 21. eamque sententiam veriorè pronuntiat à Mostazo d. cap. 17. n. 67. At magis arri-det sententia contraria, quam maximam habere probabilitatem, fatetur idem à Mostazo, & defendunt Barboſa d. cap. 39. §. 6. num. 14. Ranbeck d. §. 1. n. 14. Fagnanus cit. l. à n. 76. Riccius cit. l. Ratio fortissima est: quia juramentum, quod præstat in præjudicium tertij, non ligat: hoc autem juramentum, quò firmatur renuntiatio privilegij competentie, præstat in præjudicium tertij, nempe totius Ordinis Clericalis, cui probrosum est, suos Clericos in mendicitate vel carcere conspiciere. Ergo non ligat: quemadmodum non ligat juramentum aliud, quò privilegio canonicis & fori renuntiat per textum in cap. si diligenti 12. de Foro compet.

Hinc etiam contra Ranbeck cit. sect. 2. cap. 236 n. §. 1. n. 1. & seqq. cenſeo à fortiori cum Covarruv. d. cap. 1. n. 9. & à Mostazo d. l. n. 69. admittendum esse, quòd Clericus, qui mutuas pecunias v. g. accipiendò jurat se soluturum, nihilominus suam exceptionem competentie possit opponere: si enim expressa renuntiatio, juramentò quoque vallata, nequit eam exceptionem excludere; quomodò excludere renuntiatio tacita, per juratam solutionis promissionem introducta? Certè non est major vis taciti, quàm expressi, præsertim in materia renuntiationis privilegiorum Clericalium per cap. significasti 18. de Foro compet.

## CAPUT II.

### De Personis Ecclesiasticis seu Clericis Secularibus.

Quæ in Primo Capite disseruimus, Personis Ecclesiasticis communia sunt. In hoc Secundo Capite delibabimus ea, quæ Personis Ecclesiasticis seu Clericis Secularibus propria videntur & singularia.

## SECTIO I.

### De Nomine, Diversitate, & Qualitate Clericorum Secularium.

#### SUMMARIA.

1. Persona Ecclesiastica Secularis describitur.
2. Vocantur alii Clerici absoluti.
3. Duxerunt olim vitam continentem.
4. Recesserunt à continentia.
5. Non omnes simul, sed successivè.
6. Recessit à culpa excusatur.
7. Aliqui ex Clericis Secularibus constitunt unum corpus politicum.

8. Quidam sunt Beneficiati. 9. Nonnulli sunt Beneficiati simplices, nonnulli curati. 10. Alii sunt in dignitate. 11. Personati. 12. Vel officio constituti. 13. Requiritur in Clericis certa ætas. 14. Determinatur ætas Cardinalium. 15. & seqq. Canonorum Cathedralium. 16. Collegiatorum. 17. Scholasticorum mensura. 18. Gradus. 19. Morum gravitas. 20. Ad Clericatum simplicem suffi-

## §. I.

### De Nomine & Vita Clericorum Secularium.

1. Personas Ecclesiasticas in præced. cap. n. 3. divisimus in Sæculares & Regulares. Sæculares diximus illas, quæ non ducunt vitam cum laicis communem, sed una cum laicis in Sæculo sic vivunt, Divinis obsequiis consecrata, ut tamen specialem aliquam Regulam, cum emissionem votorum substantialium, non profiteantur. Tales in Jure Canonico interdum absolutè vocantur Clerici, veluti constat ex cap. si quis suadente 29. XVII. q. 4. cap. secundum 6. cap. ult. & rubei. tit. Ne Clerici vel Monachi & c. interdum verò additur specialiter ly Sæculares, sicut videre est in cap. licet 12. de Off. Jud. Ord. cap. ad Apostolica 2. §. præter hæc de Sent. & re jud. in 6. cap. animarum 1. de Sepultur. eod. in 6.
2. Primis Ecclesiæ sæculis Clericorum Sæcularium vita parum aut nihil differebat à modo vivendi Regularium: dicebant quippe vitam communem, sub uno tecto habitabant, in singulari nihil possidebant, sed erant illis omnia communia, & prout quævis opus videbatur, bona in singulari distribuiebantur, veluti relucet ex Actibus Apostolorum cap. 4. §. 32. & 35. cap. 5. §. 44. & 45. & textibus permultis in cap. dilectissimi 2. cap. necessaria 3. cap. Clericus 5. cap. cui portio 6. cap. quia iua 8. & 3. seqq. XII. q. 1. Conferatur Vir literatissimus, ac singulari veneratione mihi Colendissimus P. Corbinianus Kamm in Hier. archia Augustana 2. part. 1. cap. 1. Sect. 1. n. 11. & 20.
3. Postea ab hac communiōne recessum, &

cit prima tonsura. 22. In Clericis curatis requiritur Sacerdotium, intra annum suscipiendum. 23. Impedimentum perpetuum admittit beneficium curatum, non temporale. 24. Ratio diversitatis. 25. Opinio Fagnani notatur. 26. & seqq. In beneficiis simplicibus quandoque requiritur Ordo major & sacer. 28. & seqq. An ille sit necessarius in actu vel potentia proxima? 31. Obligatio dicendi Missam non facit beneficium Sacerdotale.

## §. II.

### De Diversitate Clericorum Secularium.

1. cum bona Ecclesiastica dividerentur in 4. partes, una Episcopis, altera fabricæ, tertia pauperibus, quarta Clericis assignata, cuilibet Clerico singulare jus in suam portionem tributum est cap. concessio 26. cap. quatuor 27. cum 3. seqq. XII. q. 2. Nihilominus post hanc divisionem in multis locis, præsertim in Ecclesiis Canonicoarum, communis vita diutius viguit, & in specie in Ecclesia Augustana Episcopus cum suis Clericis vitam communem usque ad annum circiter 1072. continuavit, veluti refert eruditissimus P. Kamm d. l. n. 21. In Ecclesia Leodiensî sæculò duodecimò vitam communem inter Canonicos adhuc supersistit fuisse, scribit Van-Elpen Jur. Eccles. univ. p. 1. tit. 7. cap. 2. n. 2. & in num. 4. advertit, mutationem vite communis in singularem non auctoritati Ecclesiæ, sed defectui & refrigerenti charitati adscribendam esse. Verùm cit. P. Kamm in num. 23. universim monet, recessum à vita communi non ex levitate quadam aut transformatis moribus accidisse: nam (verba sunt laudati Authoris) crescente Clericorum multitudine, & una crescente ferocissimâ Adversariorum ætate, bonorum Clericalium aliqualis divisio potius, quàm illorum communis possessio pacificum promovebat regimen tot Clericorum, nec non ad propugnandam statûs Clericalis dignitatem plures numerare Clericos dominij capaces, videbatur pernecessarium & c.

## §. II.

### De Diversitate Clericorum Secularium.

1. Clericorum Sæcularium fors & conditio diversa est. I. enim quàm plurimi eorū sim ac separatim ita vivunt, ut corpus aliquod morale, tanquàm membra, non constituent, quales sunt Parochi, Capellani & c. Alii habent quidem distinctos & separatos redditus, constituunt tamen corpus aliquod politicum, tanquàm membra, quales sunt Canonici Cathedralium & Collegiatorum Ecclesiarum, de quibus plura in cap. 4. & permulta apud nominatum P. Kamm in Hier. Aug. cap. 1. a. 3. 4. 5. invenientur.
2. II. quidam Clerici sunt Beneficiati, qui beneficium quoddam Ecclesiasticum possident; quidam sunt non-Beneficiati, nullòve Ecclesi-

sicò beneficio condecorati. Quamquàm enim sine beneficio Ecclesiastico, ex quo perpetuum alimoniam consequi liceat, nullus Ordinibus majoribus initiari deberet cap. neminem 1. cap. Sanctorum 2. Dist. 70. cap. accepimus 13. de Stat. & qual. præſic. Trid. Sess. 21. de reform. cap. 2. attamen per sæpe fit, ut ad Ordines admittantur, qui vel titulum mensæ, ut vocant, vel bona patrimonialia, vel saltem cautionem hypothecariam in bonis immobilibus obtinent. Vid. Lib. 1. r. II. cap. 3. sect. 3. §. 2. & 3.

III. Clerici Beneficiati rursus vel sunt simplices, vel curati. Simples sunt Capellani, Pensionarii, Chori-Vicarii & c. Curati dicun-

tor Plebani, Parochi, vel Parochiales Vicarii, quibus animarum cura in certa parochia, parœcia, seu districtu est commissa.

10 IV. Clerici quidam dicuntur in dignitate constituti, quidam in personatu, quidam in officio. In dignitate sunt, qui præcedentiam habent cum Jurisdictione, cujusmodi sunt, Archi-Diaconus, Archi-Presbyter Urbanus seu Decanus Cathedralis, Vicarius Episcopi Generalis, Præpositus, Episcopus & Prælati majores, de quibus nonnulla sunt dicta in Lib. I. tract. de Jurisdic. cap. 6. sect. 2. §. 1. & 11 seqq. In personatu sunt, qui præcedentiam

habent sine Jurisdictione, & eorum numero de Jure Communi reputantur Primicerius seu Scholasticus, Custos seu Thesaurarius &c. de quibus in eod. tract. 1. cap. 5. sect. 1. §. 4. In 12 officio sunt, qui administrationi cuidam sine Jurisdictione & præcedentia præstant, ad quam classem revocantur Oeconomi rerum Ecclesiasticarum, Cellarii &c. P. Engel ad tit. de Præbend. num. 4. ubi cum Tamburin. de Jure Abb. tom. 1. disp. 1. quæst. 2. num. 3. & 9. docet, posse nonnunquam ex consuetudine dignitatem sine Jurisdictione vel administratione obtineri.

§. III.

De Qualitatibus Clericorum Sæcularium.

13 Qualitates Clericorum Sæcularium ad quatuor capita reduco; nempe ad ætatem, scientiam, mores, Ordinem. Etas pro varietate Clericorum est varia. Qualis in Clericis, in dignitate vel personatu constitutis, requiritur, dictum est in Lib. I. tr. de Mod. 14 acquir. Prælat. cap. 1. ad num. 179. Cardines ex constitutione Trident. Concil. Sess. 24. de Reformat. cap. 1. in fin. eandem ætatem habere debent, quam Episcopi; verum ex constitutione Sixti V. quæ incipit postquam verus, & allegatur à Fagnano in cap. cum in cunctis 7. de Elect. n. 26. Wiestner ad tit. de Etas. & qualitate & Ord. præficiend. n. 3. talis in Cardinalibus etas requiritur, qualis ad Ordinem, quem recipere debent, intra annum recipiendum, est necessaria.

Canonici Cathedrales juxta Trid. Concil. in cit. sess. 24. de Ref. cap. 12. statuens, ut omnes Canonici saltem Ordinem Subdiaconatus habeant annexum, annum vigesimum exceperint, oportet, ut intra annum possint ordinari in Subdiaconos. Barbofa de Offic. & pot. Episc. p. 3. alleg. 70. Fagnanus cit. l. n. 68.

16 Sed ab hac constitutione excipiuntur tum Canonici supernumerarii, quales in plurimis Ecclesiis solent recipi juxta resolutionem S. Congreg. apud Barbofam de Canonici. & dignitat. cap. 13. num. 13. tum Canonici non paucarum Ecclesiarum in Germania, in quibus ad Canoniciatus non præcisè requiritur Ordo Subdiaconatus, sed tantum ad vocem ac suffragium in Capitulis habendum. Pirhing ad tit. de Etas. qual. & ord. præficiend. n. 12. Wiestner ibid. n. 11. Canonici in Ecclesiis Collegiatis, sicut & Beneficiati simplices quicumque, ex dispositione cit. Concil. sess. 23. de Reformat. cap. 6. annum ætatis 14. attigisse debent. Magnif. D. P. König ad cit. tit. n. 6.

18 Scientia tanta in singulis Clericis requiritur, quanta cuilibet est necessaria, ad munus, quod susceptum, rectè ritèque gerendum per cap. ult. de Etas. & qual. præficiend. Unde quò magis arduum est officium vel dignitas, cui præficiatur Clericus, eò major scientiæ gradus desideratur; indeque in Clerico curato longè eminentior scientia, quam in non-curato existigit per cap. cum sit ars 14. eod. cap. illiteratos 1.

19 segg. cum annotat. Gratiani Dist. 36. cap. ignorantia 1. & segg. Dist. 38. Specialiter uterque in Concil. Trident. sancitum est, ut Licentiatùs vel Doctoratùs Laureà in Theologia vel Jure Canonico condecorati sint Episcopi, aut publicò Academia testimonio ad alios docendos idonei judicati sess. 22. de Ref. cap. 2. Archi-Diaconi, seu alii, qui Jurisdictionem contentiosam in foro externo administrant sess. 24. de Reformat. cap. 12. Penitentiarii d. sess. cap. 8. Vicarii Capituli, Sede Vacante constituti d. sess. cap. 16. Scholastici sess. 23. de Reformat. cap. 18. Positi in quacunque dignitate, uti & potiores ex Canonici in Ecclesiis Cathedralibus & Collegiatis insignibus d. sess. 24. cap. 12. Plura de scientia literarum tradidi in cit. tract. de mod. acquir. Prælat. ad num. 198.

Mores gravitatis, partim in cap. 1. à n. 138. 20 partim in cit. tr. à n. 222. delineata, præcipuè requirit in Clerico, ut nullà criminis & exinde resultantis censure notà reserpius; nullò irregularitatis ob natales, bigamiam, homicidium, vitium corporis &c. impedimentò innodatus; nullà infamiæ maculà sit coinquinatus. Textus in cap. cum in cunctis 7. in pr. de Elect. cap. eam te 4. de Etas. & qual. præficiend. cap. us filii 1. cap. cum decorem 15. de Fil. presbyter. cap. grave 29. de Præbend.

21 Ordinem quod concernit, hodie prima Tonsura sufficit ad Clericatum & beneficium simplex cap. Cleros 1. Dist. 21. cap. cum contingat 11. de Etas. & qual. præficiend. cap. ex literis 6. de Transact. Quamquam enim, ut notat Van Espen f. E. U. p. 1. tit. 1. cap. 2. n. 1. sub exordium Ecclesiæ tonsura non fuerit ab Ordinibus separata: succedente tamen ætate plures seorsim tonderi, & vestibus Clericalibus, absque Ordinum collatione, indui consueverunt, ut beneficiorum capaces redderentur. In Clericis Curatis, siue cum-five sine Prælatu- 22 tura & dignitate, necessarium est Sacerdotium, non quidem actu habitum, sed intra spatium unius anni recipiendum, ni beneficiò velint ipsò jure privari cap. us Abbates 1. de Etas. & qual. & ord. præficiend. cap. licet 14. cap. commissi 3. de Elect. in 6. Clem. ne in agro 1. & ceterum de Statu Monach. Quodsi legitimum impedimentum, quò minus in Sacerdotes in-

23 intra spatium unius anni promoveri valeant, interveniat, refert, an illud perpetuum sit, v.g. deformitas, debilitas, aut mutilatio membri necessari ad sacram functionem &c. an temporale, febris v.g. podagra &c. Si privum; beneficii privationem & sententiam incurrun- 24 t d. cap. us Abbates 1. de Etas. & qual. præficiend. Si secundum; beneficiò nec jure nec sententià Judiciali privantur d. cap. commissi 35. de Elect. in 6.

Ratio disparitatis est: quia beneficium datur propter officium cap. ult. de Rescript. eod. in 6. adeoque ubi perpetua inhabilitas ad officium peragendum supervenit, videtur defecere conditio, sub qua beneficium est concessum. At temporale impedimentum, sicut non impedit, quò minus cum tempore quis officium possit peragere, sic non facit, ut aliquis beneficiò privetur. Sic distinguunt, & textus alioquin in faciem contrarios combinant P. Engel ad tit. 6. n. 18. P. Pirhing ad tit. de Etate & qual. & ord. præfici. n. 39. P. Wiestner ibid. num. 22. contra Fagnanum in cit. cap. cum in cunctis n. 34. ubi putat, propter impedimentum quodcumque non induci privationem beneficii, nisi propria culpa sit contractum. Sed contra textum cit. cap. us Abbates, ubi dicitur contra textum amissio, tamen aliquà 25 justa causa prohibente presbyteri esse non potuerint. Cæterum quod dictum est in num. 21. primam tonsuram ad beneficium simplex sufficere, limitationem recipit, quando fundatione, statutò, vel consuetudine major & faceris Ordo requiritur: tunc enim fundacioni, statuto, vel consuetudini standum, & Ordo ille recipiendus erit per Trid. Concil. sess. 25. de Reformat. cap. 5. Azor Injicit. Moral. p. 2. lib. 6. 27 cap. 8. q. 12.

Nec licet beneficiò per hoc se excusare, quòd, cum beneficium simplex de consuetudine generali non exigat personalem residentiam, eidem per substitutum deservire, & desideratos Ordinis actus per eum exercere velit, si ex verbis fundacionis aut statuti appareat, quòd exigatur personale servitium, ut si dicatur: præsentetur Sacerdos idoneus: volo, ut beneficiatus Missam per seipsum legat, aut in beneficio personaliter deserviat. Garcias de Benefic. p. 7. cap. 1. n. 99.

& seq. referens diversas S. Rotæ Romanæ decisiones, & duas Sacre Congregationis resolutiones. Lotter de re benefic. l. 2. q. 47. n. 10. & segg. Leuren in foro benef. p. 1. sect. 2. cap. 2. q. 311. Wiestner ad tit. de etate & qual. præficiend. n. 28.

28 Num verò in simili casu facer ordi v.g. Sa-28 cerdotium actu requiritur, an solum in aptitudine & potentia proxima, ut nempe recipi possit intra annum? DD. non sunt unanimes. Garcias cit. l. n. 58. Decius, Rebuffus, & alii, ab eo citati, requirunt actuale Sacerdotium: quia qualitas, adjuncta verbo, secundum tempus illius, quo in nostro casu est præfens, intelligitur arg. l. in delictis q. 5. l. ff. de Noxali. action.

Verum Azor cit. q. 12. asserit, quòd, si verò 29 ba non expressè Sacerdotium tempore præsentationis vel collationis exigant, sufficiat Sacerdotium in aptitudine & potentia proxima; cui consentit Flaminius Parisius de resignat. beneficior. lib. 4. q. 9. n. 36. ubi & in n. seq. duplicem Rotæ decisionem adducit, ac Franciscum, Geminianum, Joannem Andream, & alios allegat. Ratio posterioris, mihi què 30 verioris opinionis est: quòd æquè statuta ac fundaciones in dubio debeamus interpretari juxta tenorem juris Communis. Atqui de Jure Communi flatum est, quòd, si beneficium sit Sacerdotale, vel aliàs certum Ordinem exigat, non requiritur actualis Sacerdotii vel Ordinis illius receptio, sed potentialis per textum in d. cap. us Abbates 1. cap. præterea 5. de Etate & qual. & ord. præficiend. Clem. us 2. eod. tit. cap. licet canon 14. cap. commissi 35. de Elect. in 6. Trid. Concil. sess. 24. de ref. cap. 12. Ergo &c.

Planè si in fundacione vel statuto solum 31 modò sit cautum, ut, qui præsentatur ad beneficium, teneatur certas Missas legere, communissima DD. opinio est, beneficium Sacerdotale non esse, nec Sacerdotium ullò modò requiri: quippe cum beneficiatus simplex non obligetur personaliter residere, sed intentioni fundatoris aut institutoris satisfaciatur, Missas per alium legendò. Garcias ubi supra num. 86. & segg. Azor loc. cit. quæst. 5. citat. ca. fin.

SECTIO II.

De Obligationibus Clericorum Sæcularium.

SUMMARIA.

32. Clericus debet habere bonam intentionem in susceptione Clericatus. 33. In acceptione beneficii. 34. Secus beneficium curatum, non autem aliud, amittit. 35. Nisi mutaverit intentionem. 36. Quæ etiam potest esse conditionata. 37. Et sine animo beneficium perpetuò retinendi. 38. In sacra quoque functione similis intentio desideratur. 39. & segg. Clerici Majores tenentur in calibatu vivere. 44. & segg. Hac obligatio tamen ex solo Jure Ecclesiastico promanat.

47. Matrimonium contrahentes ipsò facto sunt excommunicati. 48. & segg. Beneficia verò non amittunt. 50. Clerici minores possunt Matrimonium contrahere. 51. & segg. Si tamen beneficium habeant, eòdem ipsò Jure privantur. 53. & segg. Solvuntur contraria. 57. & segg. Matrimonium invalidum non inducit amissionem beneficii. 62. Multò minus sponsalia de futuro. 63. & segg. Beneficium, semel amissum, non recuperatur. 65. & segg.

seqq. Episcopus non potest cum Clericis conjugatis super beneficio retinendo dispensare. 68. & seqq. Clericus est interdicitus cohabitatio cum mulieribus non-propinquis, & suspectis. 71. & seqq. Pœna Concilii Trid. in Clericis concubinarios lata. 73. & seqq. Proprie dicta suspensio non invenitur statuta. 75. Clerici tenentur ad Horas Canonicas. 76. In Ecclesiis Cathedralibus

libus & Collegiatis tenentur psallere. 77. & seqq. Aliis, si in majoribus sine constituti, debent privatum recitare ex antiquissima traditione. 80. Clerici minores ad breviarium obligantur, si beneficium habeant. 81. Etiam si teneant sit. 82. Simodo possessio sine culpa propria non fuerit dilata. 83. Ceteroquin ad restitutionem fructuum obstringuntur.

§. I. De Recta intentione Clericorum.

32 Obligationibus generalibus Clericorum ex parte secularium specialiter accedit obligatio habendi rectam intentionem I. in ipsa Clericatus susceptione: nam Concil. Trident. sess. 23. de Reform. cap. 4. prohibet, ne prima tonsuræ initiatio, de quibus probabilis conjetura non sit, eos, ac DEO fidelem cultum præstant, hoc vite genus elegissent. Videatur P. Westner ad tit. de Vita & honestate Clericor. à n. 16.

33 II. in acceptatione beneficii: qui enim beneficium Ecclesiasticum recipit, debet habere intentionem, Ordinem, qui beneficio connexus est, intra annum recipiendi per textus in n. 2. & 30. citatos, & si beneficium illud parochiale sit, ac beneficium non habeat animam, Sacerdotium intra annum suscipiendi, fructus non facit suos d. cap. commissarius §. 5. ca. 4. tit. de Elest. in 6.

34 Quam constitutionem, licet ad cetera quoque beneficia quidam extendant, attamen, cum odiosa sit, neque ad beneficia simplicia cum Zocônio ad tit. de Prab. n. 33. extendit Magnif. P. König ad tit. de Stat. & qualis. n. 37. neque ad beneficia majora, vel dignitates curatas P. Westner cit. l. num. 21. Si tamen ante exitum anni mutetur voluntas, & Sacerdotium suscipiatur, cessat obligatio restituendi per cit. cap. §. ceterum in verb. nisi voluntate mutata promissus fuerit.

Quin etiam si intentio tantum, & conditionata sit, suscipiendi nimirum Presbyteratum, nisi interea status Ecclesiasticus displicuerit, aut status Matrimonialis prælaquerit, eam tunc rationabilem sufficere docent Garcias de Benefic. p. 3. cap. 4. à n. 46. Pirhing ad tit. de Vita & honestate Clericor. n. 106. Westner ibid. n. 19. Schmalzgrueber ibid. sub num. 2.

Et multò magis sufficit intentio, quidem absoluta, recipiendi Sacerdotium, at sine animo, beneficium parochiale perpetuò retinendi: quia inter beneficium & beneficiatum non intercedit vinculum aliquod insolubile, quod impediat illius abdicacionem, resignacionem, aut permutationem, legitime faciendam. Westner d. l. n. 12. Schmalzgrueber num. 4.

III. in omni quidem operatione, præsertim in ministerio sacro, quod, si sine debita intentione peragatur, DEO exosum, & aliquando, si actio Sacramentalis sit, omninò sacrilegum, irritum, & graviter est peccaminosum ex decreto Concilii Florentini, quod latius illustrant Theologi.

§. II. De Calibatu Clericali.

35 Pro majori Personarum Ecclesiasticarum honestate, tam interna quam externa, salubriter ab Ecclesia ordinatum est, ut, qui majoribus Ordinibus sunt initiati, non minus quam Regulares profecti, à licito quoque foeminarum consortio abstineant, ac perpetuò celibes maneant. Indeque matrimonium, à talibus personis contractum, est ipsò jure nullum & invalidum. Textus in cap. ult. Dist. 27. cap. omnium 1. cap. de illo 4. cap. erubescant 11. Dist. 32. cap. si quis 1. de Cleric. conjug.

40 Triad. sess. 24. can. 9. Rationes sunt I. quia, ut dissert Alexander III. in cap. quod ad re 3. d. simul voluptatibus & carnalibus desideriis, ac Divinis & Ecclesiasticis obsequiis vacare non valent; & ut loquitur Innocentius III. in cap. diversis §. eod. tit. citbar a cum psalterio male concordat: cum vir cogitat, quomodo placere possit uxori, & idè minus, qua DEI sunt, valeat cogitare, & quasi divisus in duo plenum sui non habeat potestatem, ut ei, à quo stipendium recipit, plenius famuletur. II. quia, dum in Lege Veteri Sacerdotes, panes propositionis & Sacrificia tantum umbratilia offerentes, debuerunt ab usu matrimonii cessare Exodi cap. 19. §. 15. 1. Reg. cap. 21. §. 4. dumque ex doctrina D. Pauli 1. Corinth. 7. conjuges ad tempus propter orationem ab opere conjugali abstinere debent: profectò Sacerdotes, cui semper pro populo offerenda sunt Sacrificia, semper orandum est: si semper orandum est, ergo semper matrimonium cavendum. Sic insigniter arguit D. Hieronymus, relatus in cap. si Laicus 7. Dist. 31. Cui consonat Innocentius II. in cap. decernimus 2. Dist. 28. assertens: cum ipsi (Subdiaconi & Clerici majores) templum, vasa Domini, & Sacramenta Spiritus Sancti debeant esse, & dici, indignum est, eos cubilibus & immunditiis deservire.

III. quia Clerici celibes ex 42 majori sanctitate & puritate majorem sibi venerationem populi conciliant; sicut econtra pastores & prædicantes Acatolici ex conjugali & communi cum ceteris laicis vivendi modo non multum in honore sunt per cap. beatus Petrus §. 5. infames VI. q. 1. cap. qualis enim 21. VIII. q. 1. Trid. Conc. sess. 25. de Ref. cap. 14.

IV. quia redditus Ecclesiastici, quos

quos in alimonia pauperum, levam in hospitum, & incrementum Ecclesiarum oportet impendere, in uxorem & liberos: I. Clericis conjugatis impenduntur juxta cap. de Syracusane 13. Dist. 28.

44 Dixi: ab Ecclesia scordinatum esse. Quamquam enim nonnulli crederent, cœlibatum jure Divinò Clericis esse præceptum, allegantes eam in rem antiquissimam Ecclesie consuetudinem, quæ constat, à temporibus Apostolorum Matrimonia post Ordines majores susceptos nunquam fuisse concessa: nihilominus recentior & melior est sententia, quæ cœlibatum Clericalem soli Ecclesie ordinationi tribuit: cum textus in S. Pagine, cœlibatum præcipiens, haud invenitur; imò 1. ad Timoth. 3. Apostolus velit, Episcopum unius uxoris esse virum; ac Græcis Clericis sit permissum, uxoriibus, ante Clericatum ductis, cohabitare cap. cum olim 6. de Cleric. conjugat. quin & Subdiaconis ac Diaconis subinde permissum fuerit Matrimonium per cap. Diaconis 8. Dist. 28. cap. ante 1. Dist. 31.

45 Antiquissima igitur Ecclesie consuetudo non infert præceptum Divinum, sed hoc solum contra infensos Catholicorum & Personarum Ecclesiasticarum hostes evincit, Matrimonia Clericis ab Ecclesia salubriter omninò & rationabiliter fuisse interdita. Barbosa de offic. & pot. Ep. alleg. 15. n. 2. P. Engel ad tit. de Cleric. conjugat. num. 11. & seqq. P. König ibid. n. 3. P. Westner n. 17. & seqq. Clericatus de Sacram. Ord. decis. 27. à n. 14. ubi etiam à n. 22. eruditè ostendit, qualiter à sacculo ad saculum Matrimonia fuerint interdita.

47 Contra hanc prohibitionem si personæ Ecclesiasticæ, post Ordines majores susceptos, aut Religiosam professionem emissam, Matrimonium inveniunt, ipsò facto excommunicationem incurunt Clem. un. de Consanguin. & aff. 48 finit. Beneficia tamen, si quæ habeant, non amittunt ipsò jure: eò quod nulli talis amissio in poenam legatur statuta; nec Clerici, sic contrahentes, assumant statum incompatibilem cum beneficio; sed ad uxores relinquendas per poenam suspensionis adiguntur in cap. si quis 1. de Cleric. conjug. Sicque contra Covarruviam, Sylvestrum, & alios docuerunt Barbosa ad cit. cap. n. 7. König ad eand. tit. n. 7. Pirhing ibid. n. 18. Westner n. 24. & Anno 1706. die 23. Aug. in facti contingentia Facultas nostra consulit.

48 Quin imò nec per sententiam sunt privandi, nisi (quæ mens Innocentii II. in cap. decernimus 2. & aliorum in cap. de iis §. cap. presbyter 9. Dist. 28. fuisse videtur) post monitionem uxores dimittere reculent arg. cit. cap. si quis &c. Gonzalez in cap. diversis §. in pr. num. 2. Westner eis. loc. num. 25.

50 Interrogabis autem I. an ergo Clerici secularibus, in minoribus constitutis, liceat contrahere Matrimonia?

Resp. talibus Clericis statum matrimonialem non esse vetitum cap. si quis verò 3. cap. si quis 7. cap. leiores 8. Dist. 32. Sed & privilegium

fori ac canonis illis relinquitur, cum unica & virgine contrahentes habitum & tonuram geitaverint cap. un. de Cleric. conjug. in 6. & insuper ab Episcopo ad alium Ecclesie servitium fuerint deputati juxta Concil. Trident. sess. 23. de Reform. cap. 6.

Interrogabis II. an Clerici beneficiati, si in minoribus constituti Matrimonia contrahant, beneficia sua vel pensiones amittant; & si hoc, an ipsò jure, an per sententiam?

Resp. ipsos beneficia nec non pensiones Ecclesiasticas, quæ beneficiorum naturam habent, amittere à momento contracti Matrimonii ipsò jure; sique nullos deinceps fructus percipere posse. Est communis opinio, tradita ab Abbate in cap. si quis 1. de Cleric. conjug. n. 4. & §. 1. Zoëf. eod. tit. n. 15. P. Engel eod. tit. n. 2. Magnif. P. König ibid. n. 10. Clariff. D. P. Jo. Bapt. Eberthi controvers. stetit. p. 2. controvers. 3. n. 1. Clericato cit. decis. 27. n. 3. Probatur efficaciter ex eo, quod status matrimonialis ex cap. quod à re 3. & cap. diversis §. d. cum statu Clericali & beneficiis ex dispositione Ecclesie sit planè incompatibilis: adeoque dum Clericus minorita Matrimonium contrahit, aut tacite beneficio renuntiasse præsumitur arg. cap. ex transmissa 3. de Renunciat. & cap. ex ore 3. de his que fiunt à majori parte Capit. aut deficere conditio, sub qua beneficium antea collatum est d. cap. quod à re 3. de Clericis conjugat.

Dices I. in d. cap. quod à re 3. & cap. diversis §. §. decerni, Clericos conjugatos suis beneficiis privandos esse.

Resp. privandos esse beneficiis non quoad titulum & proprietatem, sed quoad possessionem, quam post Matrimonia contracta de facto, non de jure, præsumunt continuare. Id, quod colligitur ex d. cap. si quis 1. d. r. ubi tales Clerici dicuntur compellendi ad relinquenda beneficia; bonò iudicio, non opus esse ulteriori privatione quoad titulum & proprietatem, sed compulsionem facti sufficere.

Dices II. quando Clerici in majoribus contrahunt Matrimonium, suis beneficiis solummodo per sententiam, & quidem post factam admonitionem, privantur ex n. 48. & seq. Ergo idem dicendum de Clericis in minoribus.

Resp. concessò antecede. negandò consequè, & paritate. Disparitas est, quòd status matrimonialis, tanquam invalide assumptus, non sit incompatibilis cum Ordinibus majoribus; indeque beneficium privatio Clericis majoribus, conjugum attentantibus, non propter incompatibilitatem; sed in poenam criminis & contumacie est constituta. Jam verò dubium non est, quin Leges pœnales non obligent ante sententiam per cap. cum secundum 19. de Heretic. in 6. Ideoque nec privatio beneficiorum obligationem ante sententiam habeat. Cetera verò Leges in habilitantes & conditionatae statim obligant; & consequenter, cum etiam Lex inducens privationem beneficiorum respectu Clericorum minorennium, Matrimonium contrahentium, sit

fic inhabitans & conditionatâ, statim a tempore contracti matrimonii obligat.

57 Interrogabis III. debeatne Matrimonium legitime & valide contractum esse ad hoc, ut privatio beneficii inducatur?

Resp. quod ita; prout etiam respondit Facultas nostra sub datâ ut supra; eademque

58 conformiter judicatum est. Ratio est: quia in primis textus, privationem statuente, de Matrimonio valido loquuntur, dum Clericum conjugatum relinquere beneficium, & manere cum uxore (quæ mansio supponit Matrimonium legitimum) jubent d. cap. si quis

59 de Clericis conjugatis. Deinde non potest cum veritate dici, quod Clericus, Matrimonium invalidè contrahens, statim incompatibilem assumpserit; quippe cum, etsi maximè ve-

60 solit, nequeat in tali statu permanere. De-

61 mum ex vulgata regula non prestat impedimentum, quod de Jure non sortitur effectum

62 Clarissimi DD. cit. loc. P. Königium 11. P. Eberth num. 12. P. Westner sub n. 8.

63 Neque dicas cum P. Reiffenstuel ad cit. tit. 20. & multis Adversariis, sufficere intentionem contrahendi Matrimonium unâ cum opere

64 bigamæ; sicut de bigamis in cap. super 4. de Bigam. non ordinand. est dispositum. Contra-

65 enim est: quia privatio beneficii secundum dictâ provenit ex status incompatibilitate; adeoque sola contrahendi intentio non sufficit, sed effectus, seu Matrimonium aâu valide

66 positum, requiritur. Hinc

67 Collige: solum minus sponsalibus de futuro vim inesse; ipsorum Clericum beneficiò privandi: sunt namque sponsalia via duntaxat ad Matrimonium, nec statim incompatibilem operantur; postquam de occurrere plura, quæ obstant, quò minus Matrimonium effectivè sequatur. P. Engel ad tit. de Clericis conjug. num. 4. in fin. & Authores vix non omnes.

68 Interrogabis IV. an Clericus minoris beneficii recipiat, si uxor ante Matrimonium consummatum mortua, vel Religionem ingressa, vel Matrimonium ratum dispensatione Pontificâ solutum fuerit?

Resp. cum Panormitano ad cit. cap. si quis de Clericis conjug. n. 5. Barbosa ibid. n. 4. & 5. Engel eod. tit. n. 3. Pirhing ibid. n. 13. negativè.

69 Ratio est: quia beneficium, semel quoad titulum & proprietatem amissum, nequit recipi absque novo titulo, institutione, vel collatione arg. cap. ex ratiōmissa 3. de Renuntiatis. & cap. beneficium 1. de R. J. in 6. Atqui beneficium Clerici conjugati statim a tempore rati Matrimonii quoad titulum & proprietatem amittitur. Ergo &c.

70 Interrogabis V. possitne Episcopus cum Clericis conjugatis dispensare, ut possint retinere beneficia?

Resp. negativè. Ratio est: quia Jus Commune nequit Episcopus, sed solus S. Pontifex relaxare; nisi relaxandi facultas Episcopo manifestè concedatur; quod tamen nullibi factum legitimus, ne quidem in cap. Joannes 7. de

Clericis conjug. ubi de dispensatione Episcopali altum est silentium. Pirhing cit. l. n. 20. König cit. l. n. 9.

Potest equidem Episcopus subinde cum de 66 positis, homicidis, & irregularibus ad beneficium dispensare cap. Salonitana 24. Diff. 63. cap. ad audiendam 12. de Homicid. Exinde tamen non potest formari consequentia, quòd etiam cum Clericis conjugatis dispensare possit;

præterquam enim quòd dispensatio sit exorbitans & odiosa in Jure; insuper discrimen in eo versatur, quòd crimen, ex quo privationem beneficii quis incurrit, sit aliquid transiens, ac, peractâ poenitentia, veniam mereatur: at status incompatibilis est aliquid permanens, nec, ob indecentiam continuam, indulgentiam Prælatorum, Summò Pontifice inferiorum, promeretur.

Porrò ut Personæ Ecclesiasticæ vitam celi-

71 bem eo securius & purius transigere valeant, prohibitum est, ne sub eodem tecto cohabitent mulieribus, nisi sint admodum propinqua; puta in primo vel secundo consanguinitatis aut affinitatis gradu conjunctæ; vel propter ætatem aliamve causam de incontinentia non suspectæ. Textus in cap. cum omnibus 27. cap. feminas 31. Diff. 81. cap. penult. de Cohabit. Clericor. & mulier.

Et licet aliqui personas

72 affines excipiant; alii inter affines distinguant; eò quòd cit. cap. cum omnibus 27. solummodo mentionem faciat de personis consanguineis: at tamen & affines comprehendendi posse, non vanè existimo: quia in cit. cap. feminas & cit. cap. penult. generaliter admittuntur personæ, in quibus naturalis focus nisi mali suspicari possit.

Si tamen etiam in conjunctis personis, aut earum pedisequus timeatur periculum, illarum consortium pariter erit deviantum; quâ ratione textus in cap. inbibendum 1. d. 1. qui cæteroquin obstat videretur, exponendus est cum P. Engel ad cit. tit. n. 2.

Quodsi Clerici commercium omnino vel-

73 tum cum altero sexu, sive in domo propria sive extra foveant, præter reatum conscientia variâs & graves poenas in cap. 2. 3. 4. 5. & 6. cit. tit. prestatitas habent. Præcipuis verò

74 Concilium Tridentinum contra Clericos concubinos seu consuetudinarios insurgit, ac in sess. 25. de Reform. cap. 14. statuit, ut si Superioribus moniti non desisterint, a prava consuetudine, tertiâ parte fructuum beneficiarium, fabricæ Ecclesiæ vel pio loco authoritate Episcopi applicandorum, sint ipsò factò privati; & si denuò moniti non resipuerint, omnibus omnino fructibus ipsò jure privati se, atque à beneficiorum administratione ad arbitrium Ordinarii noverint suspendendos; & si neque tunc ad frugem redierint, omnibus beneficiis & dignitatibus priventur, atque ad eas acquirendas inhabiles declarentur. Conferatur Barbosa in Collectan. ad cit. cap. Trident. à num. 3.

Antequàm verò sententia suspensionis in

75 Clericos concubinos feratur, propriè non sunt suspensi per cap. Clericos 3. & seq. de Cohabit.

74at. Clericor. & mulier. Sed improprie tantum, in quantum nempe in foro conscientia, quamdiu sine poenitentia hærent in luto peccati, sacra celebrare; fideles quoque, si concubinus sit notorius, de Jure Antiquo (non item de novo post Extrav. Mart. V. ad Evitan-

da Scandalâ &c.) factis interesse ventantur, prout explicari debet textus in cap. nullus 5. cap. praver hoc 6. Diff. 32. cap. vestra devotio 7. & cap. ult. d. r. P. Engel ibid. n. 7. & 8. Gonzalez in commentar. ad d. cap. ult. n. 4. Fagnan. ibid. n. 23. & seq. Barbosa ibid. n. 4.

§. III.

De Divinis Officiis.

75 Quia secundum dictâ superiori capite principale Clericorum munus est, servire DEO, nihil antiquius & solennius habere debent, quam officia Divina frequenter & reverenter obire, ac Horas Canonicas, quæ partem sat nobilem & magnam Divinorum officiorum constituunt, diligenter persolvere.

76 Nam Clerici in Ecclesiis Cathedralibus & Collegiatis tenentur publicè cantare vel recitare Horas Canonicas per textus in cap. ult. Diff. 91. cap. ult. Diff. 92. cap. in die 15. de Consecrat. Diff. 5. cap. presbyter 1. cap. dolentes 9. de Celebrat. Missar. Clem. gravi 1. eod. Concil. Trident. sess. 24. de Reform. cap. 12.

77 Clerici alii, majoribus Ordinibus insigniti, easdem horas privatim recitare obstringuntur, non quidem ex Jure Divino, quò, licet specialis cultus Supremo Numini per laudes & cantica publica & privata videatur esse præceptus, non tamen in individuo horæ Canonice juxta ritum & morem Ecclesiæ sint determinatæ: quippe cum alioquin S. Pontifex neminem per dispensationem ab obligatione recitandi Breviarium eximere posset, velati sagaciter expendit Clericatus de Sacram. Ord.

78 dec. 25. n. 19. & seq. Neque etiam ex Jure Ecclesiastico scripto: nam textus in d. cap. presbyter 1. de Celebrat. Missar. loquitur tantum de presbytero, & probabilis de beneficiato curato; textus autem in d. cap. dolentes 9. non tam præcipit recitationem horarum Canonicarum, quàm ab usum & irreverentiam tollit, statuens, ut Clerici divinum officium, nocturnum pariter & diurnum, quantum DEUS eis dederit, studio celebrent pariter & devotè; textus quoque in Clem. 2. eod. dum Religiosis & aliis domesticis Cardinalium aut Episcoporum dat licentiam, iisdem in Breviarii perfolutione se conformandi, magis antiquam obligationem supponit, quàm novam inducit. P. Westner

79 ad cit. tit. de Celebrat. Missar. n. 39. Sed vel ex consuetudine temporis immemoralis, veluti docent idem Westner, Salmaticens. de hbris Canon. tr. 16. cap. 2. n. 3. Lessius de F. & J. lib. 2. cap. 37. dub. 9. vel potius ex antiquissima traditione à tempore Apostolorum ad hæc usque sacula perpetim continuatâ, ac per Concilia & SS. Canones evidentius declaratâ, sicuti tradit prælaudatus Clericatus decis. 26. n. 24. & seq.

80 Clerici minores tunc solum ad horas dicen-

das obligantur, quando beneficium Ecclesiasticum possident d. cap. ult. Diff. 92. utpotè cum beneficia plerumque fundentur ut dote tenentur in finem, ut laus Divina jugiter perfolvatur; nec otiosis, sed officium (Divinum) peragentibus ab Ecclesiâ conferti soleant cap. ult. de Rescript. in 6. Engel ad tit. de Celebrat. Missar. n. 22. Nec refert, sitne beneficium tenue, vel pingue: cum textus & ratio distinguere non sinat; ac in cap. Clericus 3. Diff. 91. admodum clarè decernatur, quòd Clericus, ab Ecclesiâ sustentationem non habens, victum & amicum ab artificio vel agricultura sibi parare debeat, absque officii sui, Canonici scilicet, detrimento. Covarruv. Var. resolat. lib. 3. cap. 13. n. 8. Azor Instit. Moral. p. 1. lib. 10. cap. 3. q. 3. Garcia de Benefic. p. 3. cap. 1. n. 30. Schmalzgrueber ad cit. tit. de Celebrat. Missar. n. 58.

Quamquàm si Clericus sine propria culpa vel mora beneficii possessionem nondum acceperit, à recitatione Breviarii vel ideo possit excusari, quòd nullum ab Ecclesiâ percipiat emolumentum; quòdve Jus & ratio Juris, beneficiis obligationem recitandi horas Canonicas imponens, cum effectu debeat intelligi. Azor cit. l. cap. 4. q. 7. Lessius lib. 2. de F. & J. cap. 34. dub. 30. Schmalzgrueber cit. l. n. 61.

De reliquo discrimen non modicum est in

81 ter beneficiatos, & alios, ad pensum horarum obligatos: hæc siquidem, si pensum diurnum vel nocturnum omittant, peccant, sed ad nullam restitutionem vel compensationem obstringuntur: illi contra non tantum peccant, sed etiam tenentur ad restitutionem fructuum, proportionaliter diei, in qua sit omissio, correspondentium; ita ut, si totum officium fuerit omissum, fructus omnes, illâ die obventientes; si matutinum vel hora diurna omittantur, media pars fructuum; si una hora, sexta pars restituatur, pauperibus vel fabricæ beneficii applicanda, prout ex Bulla Leonis X. qua incipit superna dispositionis; & Bulla Pii V. qua incipit: ex proximo &c. declarat. P. Engel cit. n. 22. & seq. apud quem, sicut etiam apud Theologos & non paucos Canonistas ad tit. de Celebrat. Missar. & Divin. offic. ac inter alios apud Antonellum de Jurib. Clericor. lib. 2. p. 6. cap. ult. §. 1. & 2. pleniorè dilucidationem hujus materiæ reperire licet.

SI

CA.